

# Alte Drucke

**Dauidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Ivdicvm, Rvth, in  
Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ**

**Chyträus, David**

**Lipsiae, 1592**

**VD16 C 2504 T. II**

**Caput VI.**

---

#### **Nutzungsbedingungen**

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

#### **Terms of use**

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122](http://urn.nbn.de:gbv:ha33-1-148122)

rem eorum esse consumptum, sicut Iudeorum domus Ierosolymitana, horrendo exemplo paucis post Christi resurrectionem annis deleta est.

Alteri Visioni de Medimno מִדְמָן Ephā, quam mensuram Ebræis tria fata seu 432. oua, seu 72. sextarios continere, & cum nostra mensura, cui à scapha nomen est, æquali ferè Attico medimno congruere scimus: eadem Schöffel. fere interpretatio cum priori potest accommodari, vt Ephā seu Mediinnus significet cœtum doctorum & gubernatorum, qui se oculos vniuersæ terræ, & duces cœcorum, & lumen eorum qui in tenebris sunt, doctores insipientium & magistros infantium esse gloriantur. In horum medio sedet Mulier venusta specie, & ἡγεμονίας καὶ διλογίας egregie comta, cui nomen est Impietas seu impia doctrina, & impij mores, hypocrisi sanctitatis, iusticie & pietatis fucati: & massa plumbea, seu obstinatione & pertinacia ingrauati, vt ejici & euelli ex impiorum animis nullo modo possint. Talis fuit coetus gubernatorum populi Iudaici, vsq; ad postremum excidium Ierosolymæ. Postea Mediinnus à duabus mulieribus alatis in terram Sinear seu Babylonis auctus est. i. similes errores & corruptæ veræ doctrinæ de persona & officio filij Dei in vtraq; Babylone basin suam posuerunt: Duæ enim præcipuae sectæ impiae in orbe terrarum dominatæ sunt, Mahometica, cuius Caliphas seu sacerdos summus Babylone sedem suam habuit iam annis 900. seu vrbe Roma late in reliquum orbem terrarum propagata est. Alij Iudeos interpres secuti, has duas mulieres, ad Imperium Persarum & Græcorum accommodant, à quorum regibus vt à Cambysse, Ocho & postea ab Antiocho Epiphane & alijs saepè duriter Iudei adficti sunt. Alij ad Iudeos ante captiuitatem Babyloniam hæc pertinere, & Medimno seu Ephā impietatem & peccata gubernatorum: duabus vero mulieribus, duo regna Israël & Iuda significari aiunt, quæ ambo in terram Scennaar seu Babylonem abducta sunt.

## Caput VI.

T conuersus sum, & leuaui oculos meos, & VIII. vi.  
E vidi: & ecce quatuor quadrigæ egredientes de QVADRIGÆ.

medio duorum montium, & montes, montes  
ærei. In quadriga prima equi rufi, in quadriga  
secunda equi nigri, in quadriga tertia, equi albi, & in  
quadriga quarta equi varij & fortes. Et respondi & dixi ad  
angelum, qui loquebatur in me: Quid sunt hæc Dominice  
mi: Respōdit Angelus, & ait ad me: Isti sunt quatuor ven-  
ticœli, qui egrediuntur vt stent coram Dominatore om-  
nis terræ. In qua erant equi nigri, egrediebantur in ter-  
ram aquilonis, & albi egressi sunt post eos, & varij egressi  
sunt ad terram austri. Et fortes exierunt, & quærebant  
ire,

ire, & discurrere per omnem terram. Et dixit: Ite & perambulate terram, & perambulauerunt terram. Et vocuit me & locutus est ad me dicens: Ecce qui egrediuntur in terram aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra aquilonis. Et factum est verbum D O M I N I ad me, dicens: Sume à transmigratione ab Heldai & à Tobia, & ab Idaia & venies tu in die illa, & intrabis domum losiae filij Zephianiæ, qui venerunt de Babylone: & sumes aurum & argentum, & facies coronas, & pones in capite Iesu, filij Iosedech Sacerdotis magni, & loqueris ad eum dicens: Hæc ait D O M I N V S exercituum, dicens: Ecce vir, Germen nomen eius. Nam sub eo germinabit & ædificabit templum D O M I N O. Et ipse extruet templum D O M I N O. Et ipse portabit gloriam, & sedebit & dominabitur super solio suo. Et erit Sacerdos super solio suo, & consilium pacis erit inter illos duos. Et coronæ erunt Helen, & Tobiae, & Idaiae, & Hen filio Zephonic memoriale in templo D O M I N I. Et qui procul sunt, venient, & ædificabunt in templo D O M I N I. Et scietis quia D O M I N V S exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc, si audiuauit dieritis vocem D O M I N I Dei vestri.

**P**ropositio & summa sex priorum capitum Zachariæ est: Templum & vrbs Ierosolyma, seu ecclesia & politia Iudaica certò restaurabitur & defendetur, donec exhibeat promissum germen seu rei & Sacerdos ecclesiæ, I E S U S C H R I S T U S, cuius typum gerit I E S U filius Iosedech. Ad hunc scopum etiam, Visio de quatuor Quadrigis la curribus in hoc capite referatur. Hos ad quatuor monarchias, seu principia & summa in mundo Imperia, Babylonicum, Persicum, Græcorum, & Romanorum accommodant: quæ, vt cætera regna, eo etiam confilio D E U S dominator omnis terræ constituit & distribuit, & cuniunctis multis gentibus, & restituta ac conseruata pace in magna parte orbis terrarum faciliter propagari vera de Deo doctrina, & colligi Deo aeterna ecclesia, & ad vera pietatis ac cæterarum virtutum Deo placentium officia electi homines possint: sicut 1. Timoth. 2. Paulus hunc finem, societatis & gubernationis politicæ eruditissime indicat, cum iubet preces fieri pro regibus & omnibus qui præsunt, vt Q V I E T A M & tranquillam vitam agamus, cum omni pietate & honestate. Prima boni principis & gubernatoris cur sit, vt ciuitatibus & subditis suis P A C E M custodiat, depulsi hostibus exterinis & domi repressis latrocinijs & seditionibus. Nec finis sit pacis tanquam ut mercaturam tutò exercere possint, vel voluptatum & libidinum latibula tranquilla ciues habeant: Sed principale boni Principis officium est, vi-

PACE PIETAS ET HONESTAS colit h. pia & vera doctrina de Deo & Dominio nostro Iesu Christo in ecclesijs & scholis doceri & propagari, & mores ciuium disciplina honesta per leges, iudicia, & poenas gubernari queant. Summum igitur & pulcherrimum regnum decus est, cum summo regi, Domino Deo & redemptori nostro Iesu Christo seruint, & Dei templa, & veræ ecclesiæ Christi & pietatis ac virtutis domicilia sunt. Et propter hanc causam præcipue Deus Imperia defendit & seruat, autoritate & potentia invicta, velut muro aheneo seu montibus æneis circumuallata. Sed plerumq; imperia & ciuitates impietati, tyrannidi, auaritiæ, libidinibus & alijs sceleribus hospitium & sedem tranquillam, magis quam ecclesia Dei præbent; Ac in primis Babylonicum, seu Assyriorum & Chaldaeorum imperium, cuius hic equi rufi pinguntur, sanguinarium & crudele fuit aduersus ecclesiam & politiam Iudaicam, quam trucidatis aut in exilium abduxit tot millibus hominum funditus deleuit. Secunda quadriga, ad quam iuncti erant equi nigri, egreditur in terram Aquilonis i.e. Persæ occupata Babylone eripiunt Chaldaeis imperium, & magnum terrorum ac metum Iudeis incutiunt proposito edicto Assueri, de tota gente Iudeorum tollenda; sed tamen ut in textu dicitur, requiescere fecerunt spiritum Domini in terra Aquilonis h. Persæ tenentes Babylonem clementer facultatem instaurandæ vrbis & templi Iudeis concesserunt, nec impediunt amplius ædificationem à Iesu & Zorobabele inchoatam, sed munificè etiam eos pecunia & alijs rebus ituerunt, ut in historia Esdræ & Nehemie scriptum est. Post Persas egressi sunt equi albi i.e. Monarchiam tenuerunt Græci, quorum rex Alexander Magnus singulari candore & humanitate gentem Iudaicam complexus est, cum Iaddo pontifici ipse ex equo descendens obuiam iret, & omnia amica polliceretur & præstaret. Varijs & fortibus equis terram perambulantibus existimant significari Romanos Imperatores, quorum alijs mitiores, ut Pompeius, Augustus; alijs asperiores erga Iudeos fuerunt, ut Caligula, Vespasianus, Titus, qui totam politiam funditus deleuit. Lutherus hanc visionem accommodat ad propagationem Euangeli Iesu Christi, per ministerium Apostolorum in quatuor mundi plagas factam: Quod etiam curru Ezechieli significari consentaneum est. Prodeunt autem hæ quadrigæ Apostolorum, vehentes Euangeliū in totum mundum, de medio duorum montium æneorum, legis & Prophetarum, seu veteris & noui Testamenti, suntq; quatuor venti coeli egredientes a loco, ubi stabant coram dominatore omissis terræ, spiritus Apostolorum & aliorum doctorum fidelium scruentium Christo Domino omnis terræ, & colligentium ipsi ex omnibus gentibus & terræ finibus hereditatem æternam, quorum alijs ipsa vrbe Ierosolyma sanguinem pro Christi nomine fuderunt, ut Iacobus minor, Stephanus. Alij in regionibus ad aquilonem Iudeæ sitis, ut in Syria, Assyria, Græcia, Germania, Euangeliū sparserunt, ut Paulus, Barnabas, Petrus, Maternus, Lucius Cyrenæus. Alij versus ortum in Persia & India, ut Simon, Iudas, Thomas: alijs in terra Austri, ut S. Matthæus, Marcus. Præcipue autem requiescit Spiritus Domini in Aquiloni, ubi nunc etiam Dei beneficio Christus quadrigis Apostolorum vehus, recte agnoscitur, inuocatur & colitur, & hospitia ecclesiæ Christi transquailla & quieta florent.

Altera pars, de coronis impositis capiti Iesu filij Ioseph, ad eundem scopum, quem initio constitui, referatur. Promitit enim, addito etiam

Nn signo

signo in oculos incurrente, ædificationem templi & instauracionem ecclesiæ & politiæ Iudaicæ feliciter germinaturam seu processuram esse, & defensum ac conseruatum iri, vñq; ad Messia regis & Sacerdotis aduentum, cuius typus est in hoc capite Iesus filius Iosedech, redimitus duabus coronis, quæ sacerdotium & regnum Christi significant. Est autem *sacerdotium Christi*, officium proferendi ex sinu æterni patris & docendi Euangeliæ, & apud æternum patrem intercedendi ac deprecandi pro genere humano, in peccatum & mortem lapsi, & offerendi sacrificium videlicet seipsum, quo Deum nobis placat & reconciliat, & remissionem peccatorum, iustitiam & salutem æternam tori ecclesiæ meretur. *Regnum Christi* est gubernatio Christi sedentis ad dexteram æterni patris, & per ministerium euangelij & sacramentorum ædificantis Domino templum i.e. colligantis ex genere humano, Iudeis & gentibus, æternam ecclesiam: in qua ipse habitet, & quæ ipsum regem & Dominum agnoscat & celebret: quam in his terris suo verbo & spiritu sancto regit, & aduersus diabolos, peccatum & mortem & omnia mala potenter sub cruce defendit & protegit: & tandem resuscitata ex morte ornabit vita & gloria æterna. Hic rex & sacerdos Christus, est verum illud *G E R M E N* Dauidis (Ierem. 23. 33,) qui per ministerium Euangelij ab Apostolis sparsi, in toto terrarum orbe templum Domino ædificabit i.e. ecclesiam æternam, quæ est domus Dei & sedes veritatis, Deo colligit, ut Matth. 16. inquit Christus, Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum non præualebunt aduersam. Fundamentum enim templi seu ecclesiæ Dei est solidissima petra seu lapis pretiosus & angularis Iesus Christus. Super hanc petram, archetipi Apostoli & omnes ministri fideles ponunt lapides viuos i.e. homines Iudeos & gentiles, eosq; coemento verbi & spiritus diuini coagmenta Christus, atq; per ministerium euangelij ædificat templum Dei seu ecclesiam i.e. veram agnitionem Dei, veram iustitiam & vitam æternam in peccatoribus accedit, eaq; vna cum æterno patre & Spiritu sancto inhabitat & sanctificat. Itaq; & solus hic Sacerdos vere portabit gloriam i.e. ornatum, levistum summi sacerdotis, descriptum Exod. 28. & explicatum Esaie 61. induit me vestimentis salutis (iustitia filij Dei) & indumento iustitiae circumdedit me, quasi sponsum in sacerdotali ornatu. Sicut enim terra protinus germen suum, & sicut hortus semen suum germinat: sic Dominus Deus germinabit iustitiam & laudem coram vniuersis gentibus. Psal. 131. Sacerdotes tui induentur iustitia, & sancti tui exultent. Et quia vtrumq; officium, sacerdotium & regnum, vna Christi persona est administratura; dulcissima pax & concordia inter illa duo officia futura est, cum idem Christus, qui in cœlo pro nobis apud æternum patrem intercedit, simul eum in his terris nos spiritu & verbo suo reget & defendet. Hac summa typi considerata, textum breuissime declarabo.

*Sume à transmigratione seu à captiuitate i.e. à captiuo: seu ab his, qui reversi sunt ex captiuitate Babylonica. Abstractum pro concreto. vt illud, Christus fuit minister circumcisionis i.e. Iudaorum circumcisorum. Oldai) Ebraice יְהִי Heldai ab יְהִי seculum seu ævum. Tobia) וּבָנָיו Bonus dominus seu bonitas Domini. Idai) וְיַדְעֵנִי scientia Domini. Iohes) וְיַדְעֵנִי ignis seu Thymiana Domini. Sophonia) וְיַדְעֵנִי arcana seu secretarius Domini, vel speculator Domini, à וְיַדְעֵנִי. In capite Iesu filij Ioseph sacerdotis magni) de quo supra capit. 3. plura diximus;*

ym, & ym, Saluator. *Iosedeob*) pim, Iosedak, iustus. Nomina proprie conuenientia filio Dei Domino nostro Iesu Christo, salutum facienti populum suum a peccatis eorum, & donanti iustitiam æternam, sicut Ieremie 23. nominatur Iehoua-iustitia nostra, & 1. Cor. 1. Christus nobis factus est sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio & redemptio.

*Ecce vir, Oriens nomen eius, & subter eum orietur*) vocabulum μνη ΖΕΜΑΗ propriè significat GERMEN seu virgultum, quod ex tenera radice & parvis initis crescens, tandem magna arbor efficitur: Ita quantumuis exigua & spreta erant initia restitutionis templi & politiae Iudaicæ post exilium, tamen feliciter eam successuram esse promittit, donec tota politia & ecclesia instauretur. Et dulcissimum est, quod de summi sacerdotis & Duci concordia inquit, CONSILIVM PACIS erit inter illos duos. Summa enim felicitas ecclesiæ & Republicæ est, cum Sacerdotium & Régnum seu gubernatores ecclesiastici & politici inter se amici & concordes sunt, & se mutuo iuvant & ornant, sicut docet Psalmus, Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in viro, Quoniam illuc mandauit Dominus benedictionem & vitam usq; in seculum. Ephel. 4. Studentes seruare unitatem Spiritus, in vinculo pacis. Et in omni Republica prosperrime cuncta geruntur, cum in magistratu tales viros habent, concordibus iunctos animis, parere atq; imperare iuxta paratos, laudemq; conferentes potius in medium, quam ex communii ad se trahentes: vt Liuius inquit: & apud Homerum Nestor de concordia duorum gubernatorum ait:

εδίποτε εἰν αὐγοῖς διχ' ἐξαζηφει, οὐτ' ἐν βελῃ,  
ἀλλ' ἐν δυμὸν εχοντε νοῦ καὶ πριθεον βελῃ  
Φραζηφεις Αργειον ὄπως ἔχ' ἀριστη γένηται.

*Corone erunt Helem*) Ebraice שְׁנִי somniator, binomius fuit. nam paulò ante Holdai vocabatur, sicut qui anteā Iosias filius Zephaniæ, nunc Henps. i. gratia seu fauor appellatur. *Memorale in templo Domini*) Haec corona iuspendantur in templo, vt sint μνήσικα horum quatuor virorum, & signa admonentia posteritatem de certitudine vaticiniorum Zachariæ, qui templum Domini certo instauratum & defensum iri usq; ad Christi germinis Davidici aduentum promiserat. sicut statim addit Zacharias, Et scietis quia DOMINVS exercituum misit me ad vos. *Et qui procul sunt*) gentes etiam ad societatem templi Domini seu ecclesiæ Dei per Christum collectæ, adiunguntur. *Erit autem hoc, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri*) Christus ædificabit templum, & adiungeret membra ecclesiæ suæ, per vocem Euangeliū auditam, lectam, cogitatam, fide apprehensam. Fide enim inferimus templo Domini & ecclesiæ ac saluti æternæ, vt scriptum est, Gratia saluati estis, per fidem, fides autem ex auditu est. Auditus vero per verbum Dei, Rom. 10.

## Caput VI.

E T factum est in anno quarto Darij Regis, factum est verbum DOMINI ad Zachariam, in quarta mensis noni, qui est Cisleu. Et mi-  
Nn 2 scrunt